



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus VIII. De Schismaticis & Ordinatis ab eis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

de Jure Scripto & Communi. *N. ant. & conf.*
 Ad 2. Solus quidem Papa potest in dubio decernere ac definire, an dogma vel doctrina sit hæretica, nec ne; suppositò autem, quòd aliunde, ex SS. Litteris, vel ex prævia Pontificis definitione, aliquid certò sit hæresis, de hac cognoscere, judicare, & reos punire Papa concessit quoque Episcopis, & Inquisitoribus in hæreticam pravitatem.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quinam dicantur Schismatici, & quantum eorum pœna.*
3. *An validè conferant Ordines.*

Schismatici, à schismate, latine *scissura*, sic dicti sunt, qui se ipsos ab unitate Ecclesiæ pertinaciter separant, ejusque Capituli Summo Pontifici, obedire, & uniti universi Ecclesiæ corpori esse detrectant. Differunt ab Hæreticis, quòd nullum negent fidei dogmata, sed solùm unitatem Ecclesiæ scindant per inobedientiam erga Summum Pontificem ceu caput Ecclesiæ. Adeoque schisma potest esse primum seu sine hæresi, licet hæresis esse nequeat sine schismate. Interim tamen ordinariè, saltem diu, nec schisma sine hæresi esse solet; qui enim pertinaciter negat obedientiam Pontifici, quæ

quã tali, simul vel saltẽm brevi negabit ei obedi-
endum esse tanquam Christi Vicario, quod jam
est error in fide & hæresis, vel alios errores quo-
que amplectetur, ut patet in schismate Græcorum,
& Anglicano.

Dico 1. Pænæ Schismaticorum sunt. 1. Ex-
communicatio, quæ per Bullam Cænæ reservatur
Summo Pontifici. 2. Privatio jurisdictionis &
potestatis Ecclesiasticæ, adeoque collationes be-
neficiorum, & alienationes rerum Ecclesiastica-
rum, ab ipsis factæ &c. non valent. 3. Inhabili-
tas ad consequenda beneficia & dignitates Eccle-
siasticas. 4. Infamia facti, quæ secum trahit irre-
gularitatem; modò schisma sit notorium. 5. Con-
fiscatio bonorum, *Bull. Cæn. can. 31. caus. 24. q. 1.*
c. 1. 2. h. t. c. 5. de Elect. c. un. h. r. in 6. & Extrav.
m. int. Comm. eod. Præter has locum quoque
habent aliæ ad arbitrium Judicis Ecclesiastici.

Dico 2. Quamvis Ordines ab Episcopo schif-
matico, si fuit ut talis nominatim denunciatus,
collati valeant, cum retineat characterem Epif-
copalem & potestatem Ordinis; Ordinatus ta-
men ipso Jure suspensus est ab exercitio Ordinum
susceptorum. *c. 1. & fin. eod.* Sed *Objic. In cit. c.*
1. dicitur, Ordinationes hujusmodi irritas esse.
Et cum communi, esse irritas quoad executionem,
non verò quoad substantiam & in se. Si tamen
ordinatus laboravit ignorantia non crassa,
conceditur Episcopo dispensatio,
text. & Gl. in c. fin. cit.

